2 ~~19/69~~ 67.1

Humanissime, et Praestantissime Alberte Haller

Felix Fontana S.

Accepi postremas litteras tuas humanitatis plenissimas, quae non mediocrem mihi pepererunt voluptatem, cum sint amoris erga me tui luculentissimum argumentum. Physiologiae tuae immortalis, et incomparabilis primum duntaxat tomum mecum habeo: adeoque rem mihi gratissimam facies, si tomum alterum, ut tam humaniter polliceris, ad me mitti curaveris per Amicum communem Caldanium. Eximiam hujus operis tui excellentiam in dies magis, magisque cognosco, et quo saepius illud volvo, eo plus capio voluptatis. Dissertatiunculas meas, quas promisisti, non vidi. Si eas ad Caldanium miseris, statim mihi reddentur; jam enim ad Cl. Caldanium hac de re litteras dedi. Quae in adversaria conjeci de Pupilla, motu musculorum etc. reddentur a me quamprimum ad incudem, si per valetudinem qua utor parum firmam licuerit. Vale, Vir immortalis et praestantissime, meque, ut soles, ama.

P.S. Si meam tibi operam in aliquo negotio utilem arbitraris, quale ingen., paratum ad omnia me habebis.

Die 1. Maij anni 1760.

19